



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Apologia Libri De Reditibus Ecclesiasticis**

**Azpilcueta, Martín de**

**Antverpiæ, 1574**

Admonitio Confessariorvm, Et Consultorum super peccato malæ impensæ  
redituum ecclesiasticorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40048**

q. 3. nu. 150. secuti Adrian In Quodlib. 10. col. 4. Esse item velle sibi contraria secumque pugnantia, contra l. Vbi repugnantia. ff. de reg. iur. Est enim velle per paupertatem secularem, magnas diuitias seculares acquirere; & per submissionem mundani, sublimitatem mundani honoris quaerere. Esse liberam facultatem sibi tam in vita, quam in morte disponendi adimere, ad maiorem & liberiore consequendam. Esse mille sese implicare scrupulis, qui sibi oborientur in vtendo alienis, perinde ac si essent sua. Esse denique abuti quodammodo religionis statu, omnium (excepto Episcopatu) perfectissimo; docete id Thoma Sec. 2. q. 184. art. 7. Imo, & nonnullam dare ansam murmurandi Lutheranis, qui dum abusus religionum damnare, eas vero ipsas laudare deberent, damnant has propter illos impudenter. Adde, quod religiones militares non fuerunt instituta ad indulgendum genio, neque ad diuitias & honores seculares, quibus sui professores renunciant, quaerendos; vt late Thoma docuit. q. 188. art. 3. ad 4. Instituta enim fuerunt, vt fidem catholicam armis defenderet: quod fieri posse probat idem auctor ibidem art. 3. viuentes in castitate, qua salutem & vires auget. Est enim castitas, vt quidam ait, omnium virtutum viror, & smatagus; sicut est contrario venus squallor & mollities eneruis, qua, vt alius ait, vires eneruat: vtique vtentes abstinentia & sobrietate, qua ingenia exacuunt, stratagemata bellorum acius, & altius penetrarent. Sicut enim caecitas mentis nascitur ex luxuria, docente Thoma vbi supra. q. 154. art. 5. & hebetudo mentis ex gula, secundum eundem ibidem. q. 148. art. 5. sic ex casti-

tate, abstinentia, & sobrietate nascuntur claritas, acumen, & serenitas mentis: quia contraria operantur contraria. c. Sciendum. 8. q. 1. & l. Et si contra tabulas. ff. de vulg. & pupill. Vtque efficerent corpora laboribus, ceterisque malis bellicis perpetendis habilia. Equidem, ipse, vt iudico miseris eos, qui praecipue ob caducos honores, diuitiasque fallaces, sese praefatis ordinibus ingerunt, & addicunt: ita felices arbitror illos, qui iuxta CHRISTI consilium, abnegantes semetipsos, & spreis veneris aliisque bonis temporariis, eius Maieitati se, suaque omnia cum vita deuotes, in praefatos heroicis fines religionum militarium, cruces & insignia obtinere procurant; conanturque plus coram Deo & hominibus, sanctum semperque duraturum honorem, aeternaque bona quaerere, ob clara gesta, & vitam Euangelicam; ad quod cruces quas gestant in pectoribus obligant: quam caducum, diuitiasque fugaces, quarum sola vana gestatio parit. Idque in gloriam D. N. IESU CHRISTI, qui nos omnes sua misericordia seruet aeternum, Amen.

ADMONITIO CONFESSARIORVM, ET CONSULTORVM super peccato male impensa reddituum ecclesiasticorum.

SVMMARIVM.

*Confessarios, & consultores beneficiariorum, qua animaduertere oporteat ad absolendum, vel damnandum peccati mortiferi ob impensam reddituum suorum. num. 1.*

*Beneficium & laici impensa omnis inordinata, peccatum: sed illa clericis regulariter mortale; haec vero laici regulariter veniale. num. 2.*

N

Bene-



*Beneficarij prodigalitas & auaritia, qua parte peior quam laicorum. num. 1.*

*Beneficarij regularis impensa quomodo refarcienda. num. 2.*

*Beneficarij impensa quibus casibus iudicanda ordinata; & quibus censenda inordinata. num. 3.*

**D**ecimo quarto & ultimo, Moneo ex omnibus in hac Apologia decisis, inferri; admonendos esse confessarios & consultores beneficiorum, ne facile peccati mortalis, & restitutionis damnent, vel absoluant beneficarium consistentem malâ bonorum suorum impensam: imò maturè considerent, Primum, omnem impensam quorumcunque bonorû, à quibuscunque quocunque modo factam, si est inordinata, hoc est, contra rectam rationem naturalem, diuinam vel humanam; omnem item retentionem inordinatam, esse peccatum, saltem veniale; quia illa est prodigalitas, hæc auaritia: hæc est contra virtutem liberalitatis per defectû, illa contra eandem per excessum; & ita vtraque mala, & peccatum, saltem veniale. Quod probat Thom. Sec. 2. q. 118. art. 1. & 119. art. 2. Inter impensam autem prodigam, & retentionem auaram beneficiorum de redditibus ecclesiasticis ex vna parte, & similem de redditibus laicis ex altera, hoc distare; quòd hæc regulariter est venialis, illa verò mortifera, vt diximus suprâ quest. 1. monit. xxxix. <sup>2</sup> post Thom. in d. q. 119. art. 2. Deinde, animaduertant; an sit regularis, vel secularis. Et si est regularis, eadem censura censent impensam factam ex alijs bonis, quoquomodo quasitis ante vel post professionem, ac de redditibus ecclesiasticis: quia illa omnia sunt ecclesiastica, eò quòd

quicquid habebat ante professionem, sit per eam monasterij vel ordinis. Auth. Ingressi. C. de Sacros. Eccles. c. In presentia, de probat. & quicquid post eam quærit, acquirit eisdem. c. Cùm olim. 2. de priuil. & dictum est suprâ. q. 1. monit. x. & tribus seq. & lvi. & lxi. & modum restituendi malè impensa, pono suprâ. q. 2. mon. xx. Si autem est secularis, consideret cuius speciei sint bona illa, quæ impendit; & non censeat cum mortaliter peccare magis quàm laicum, si bona illa erant patrimonialia, vel quasi patrimonialia, per posita in monit. xxxii. Quorum 3 de numero sunt etiam ea, quæ rationem dignitatis clericalis missando, prædicando, confessiones audiendo, & alia sacra ministrando qua fierit; vt ibidem, & in monit. lxxix. probatur. Idem si erant ecclesiastica, sed reliquata ex illa eorum parte, quæ illi ad decentem vitam erat cõueniens, per monit. xxx. & duo sequentia. q. 1. & mon. lxxvii. ead. q. etiam si auarè fuerint reliquata, siue residua facta; præfato mon. xxxi. & seq. Idem si ea beneficiarius ipse sit commeritus ex obsequijs Ecclesiæ præstitis, vltra ea quæ tenebatur præstare inferuendo mediocriter suo beneficio per posita in q. 1. monit. lxxviii. vel si tantundem dederit Ecclesiæ suæ, vel pauperibus ex bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, quantum de redditibus ecclesiasticis impenderit, mon. lxxvii. Ita quòd tantundem potest pro patrimonialibus habere de redditibus beneficij, quantum in elemosynas & alia opera pia impenderit, postquam beneficium fuit adeptus, per idem monitum: quod est maxime notandum.

Iudicet



Iudicet etiam bene impensum, quod datum fuerit pauperibus quibuscunque etiam alienigenis, & locis piis extra suam parochiam, vel episcopatum sitis, per d. monitum LXXVII. etiam si non fuerint data in necessitate natura, sed tantum decentia persone, per monitum LXXVIII. Idem faciat, si fuerit impensum in decentiam, aut utilitatem Ecclesie immediatam, vel mediatam, hospicio suscipiendo Regem, proceres, & iudices eius; literatos item, & alios amicos, & etiam aliquando inimicos, ut loco & tempore opportunis profint, vel non noceant Ecclesie, vel iuribus eius, vel litigando, pro iuribus Ecclesie, vel pro sua electione vel provisione, per monitum LXXVIII. & monitum LXXVIII. questione I. Idem si fuerit impensum in remunerationem obsequiorum a cognatis, amicis, vel famulis ei prestatorum, per monitum LXXXI. eadem q. Idem iudicet, de vere irreuocabilitate donatis ad quavis opera pia, etiam in articulo mortis, per d. monitum LXXXI. & seq. d. q. I. Idem etiam de illo superfluo beneficiarij, quod seruat in pia opera etiam futura, modo probabiliter

ter sperentur, per monitum LXXVI. Nec putet male impensum, eo quod beneficiarij male viuat, & ob id perdat fructus, modo alias canonicè possideat, per monitum LXXIX. Idem item iudicet de quaesitis, per distributiones, quod de alijs redditibus, per monitum LXXXIX. & de quaesitis per pensiones, per monitum LXXX. Pro male vero impenso, iudicet retentionem superfluum sine iusta causa, & sine proposito impendendi pijs operibus, saltem futuris probabiliter speratis, per monitum LXXV. Beneficiarium autem, qui fuerit confessus, se impendisse notabilem quantitatem de redditibus ecclesiasticis male, vanè, aut profanè, extra casus, & modos sub predictis comprehensos, peccasse mortaliter, tenerique ad restituendum, qua parte poterit, illam pijs operibus, iudicet item diuitem, qui gratuito contractu recipit a beneficiario aliqua, sciens non esse patrimonialia, vel quasi patrimonialia, neque ob causas predictas largita, peccare mortaliter, tenerique ad restituendum vel procurandum, quod donans restituat, & restituere, si ille id non fecerit, iuxta monitum LXXXI. quest. I.

**N 2** Quoniam